


FACULTÉ DE MÉDECINE DE PARIS

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum die Martis 12ª Aprilis.

M. DCC. XL.

PRÆSIDE DOCTORE MEDICO

M. JACOBO BENIGNO WINSLOW,

Regiæ Scientiarum Academiæ Socio, &c.

An mortis incertæ signa minùs incerta à Chirurgicis, quàm ab aliis experimentis?

I.



MORS certa; mors incerta. Moriendum esse, certum omnino; mortuum esse incertum aliquando. E feralibus involucris, è feretris, imò è tumulis evasisse quamplures decessisse creditos, compertum est. Compertum itidem, præcipitanter humatos non nisi præposteram obiisse mortem, morte eorum, quos funis ac rota necant, multò magis horrendam. Compertum præterea, præfestinatæ anatome traditos, nondum finitæ vitæ notas ipso plagæ funestæ momento dedisse

manifestissimas, pudore scrutatoris incauti maximo, maximâque familiæ superstitis indignatione comitatas. Fabulantur, ais, qui talia narrant. DUNS SCOTUM in tumulo momordisse brachia; idemque ZENONI Imperatori post iteratos & ab excubantibus auditos ejulatus accidisse; nugas opinaris. Transeant hæcce, licebit. Non licebit itidem testes repudiare probatissimos, integerrimos, oculatos, imò etiamnum superstites. Profectò, inquit æstimatissimus Iatrophilorum Mæcenas ac Pontificis Maximi fel. record. CLEMENTIS XI. Archiater LANCISIUS (*De mort. subit. L. I. C. 15. N. 2.*) non ex aliorum duntaxat historiis nobis innotuit, multos qui decessisse credebantur, vel prope sepulchra evigilâsse, sed & nostro etiam experimento idipsum recordamur in Viro nobili, adhuc vivente, qui viginti ante annos, cum ei justa persolverentur in Templo, ad motuum sensuumque munia, omnium cum terrore magis quàm admiratione redivit. Juvenis quidam, refert consultissimus ille Romanorum Medicus P. ZACCHIAS (*Qu. Med. Leg. To. 3. Cons. 70. N. 2.*) in archihospitali S. Spiritus .... peste correptus est, ex cujus violentia in syncopen lapsus pro mortuo elatus est, ejusque corpus inter cadavera peste sublata ejectum, cum quibus dum vespillones parant illud naviculâ per Tiberim ad destinatum locum asportare, ille vitæ aliquem sensum præbuit, unde ad hospitale delatus, & utcumque ab eo symptomate sese recolligens, post duos dies in novam syncopen lapsus, unde iterum ejus corpus inter cadavera justò sublata conjectum est, cum illis terræ demandandum: sed denuò reviviscens, aptisque medicamentis recreatus, tandem à morbo in totum liberatus, adhuc in vivis degit. Sed in hac eadem peste hìc Romæ alios non adhuc vitâ destitutos pro mortuis sepulchro demandatos esse scimus. Ingenuitate nunquam satis laudandâ fatetur peritissimus quondam Chirurgus Parisiensis, PHIL. PEU. (*Prax. Obstetr. L. 2. C. 2. §. 2.*) sese, ut in gravidâ, quamque, nullo circa præcordia motu, nec ullo ad speculum halitu percepto, mortuam ipsemet crediderat, sectionem Cæsaream institueret, instanter rogatum, instrumento vix admoto, trepidationem corporis, stridorem dentium, motumque labiorum ejusdem observasse, ac tanto hinc terrore perculsum fuisse, ut deinceps operationi isti se numquam accincturum fore voverit, nisi de morte prægnantis certo certiorem factum. Idem ferè non ita pridem illustrissimi cujusdam viri corpus ante elapsas à morte creditâ viginti quatuor horas secanti contigisse fertur: similique tragædiâ ad incitas redactum fuisse Principem Anatomicorum sui sæculi VESALIUM, satis superque constat. Verùm enimverò testes hodiernos, imò viventes desideras. Reservatis alii occasioni testimoniis aliorum quamplurium, en! quos, quandocumque libitum fuerit, ipsemet auscultare poteris. Testatur spectatæ integritatis Reverendus PATER LECLER, antehac convictûs in Collegio LUDOVICI MAGNI Procurator jamdiu cognitissimus, sororem primæ Patris sui Uxoris in cœmeterio publico Aurelianensi cum annulo digitum ornante humatam fuisse: subsecutâ postea nocte

ſandapilam, ſpe lucri; famulum detexiſſe, eodemque digiti, cui ſtrictè nimis inhærebat annulus, amputationem moliente, ſepultam illico dolorem ſibi fieri exclamâſſe: perterrito & in fugam mox conſternato fure, ipſam, divulſis linteis, ædes ſuas petiiſſe, poſteaque circiter decennium vixiſſe, ac, prole interim editâ, vitam mariti ſuperâſſe. Teſtatur integerrimæ fidei Sacerdos, DN. M. JOSEPHUS MARESCHAL, Eccleſiæ Metropolitanæ Pariſienſis Capellanus, ac S. Joannis à Motta apud Cenomanos Prior, anno 1714. circiter, dum tranſiret per plateam Joannis Robert dictam, ſe vidiſſe mulierem lodice laneâ coopertam, ante fores domûs in biſellio ſedentem juxta loculum, in quo illuc delata, & è quo jamjam extracta fuerat. Teſtatur idem anno 1722. vel 1723. ſe vidiſſe & audiviſſe veſpillonibus vicum Joannis Floridi petentibus obvios clamantes, non mortuum eſſe, quem quærebant, ſed è feretro ereptum vivere. Teſtatur peritiſſimus Chirurgus Pariſienſis D. BENARD, ſe adoleſcentulo unà cum Patre pluribusque adſtantibus in Parochiâ Réol præſente, Religioſum Ordinis S. Franciſci, jam â tertio vel quarto die tumulatum, è ſepulchro protractum fuiſſe adhuc viventem ac ſpirantem, manibus circa ligaturam commorſis, ſed è veſtigio ferè extinctum; imò perſcripta fuiſſe coram judicibus acta rei geſtæ, cujus occaſionem dederat epiſtola amici monentis eundem catalepticis inſultibus obnoxium eſſe. Teſtatur honeſtiſſima vidua D. LANDRY, peritiſſimi olim Calcographi, Patrem ſuum ſtraminibus per aliquot horas mortui inſtar impoſitum, poſt aquam ſalitam ori infuſam, ſuadente, quæ verè mortuum eſſe perſeveranter negaverat, amicâ, denuo diuque poſtea vixiſſe. Allegata hæcce impræſentiarum ſufficiant, ut quod celeberrimus LANCISIUS: Quis ignorat, inquit, peſtis tempore omnem rem non niſi tumultuariè peragi; ac perinde leve dumtaxat ſtudium ad ſecernendos veros à pſeudo - mortuis adhiberi; idem nobis non modò liceat, verùm etiam nos oporteat, de quovis epidemiorum tempore, de præfeſtinatorum in Xenodochiis, in ſuburbiis alibiqne funerationum frequentiâ, vindictam, mortis violentæ in ipſis cœmeteriis clamante, ac de horrendis ſemivivorum imò fortè viventium poſt bellicoſos conflictus humationibus præproperatis, ſuſpicari.

II.

NE finitæ quidem vitæ ſatis certas notas eſſe, virum jure magni nominis Democritum propoſuiſſe, tradit Hippocrates Latinus, (L. 2. C. 5.). In apoplexiâ, ſyncope, ſuffocatione, tum verâ ſtrangulatorum, oppreſſorum, ſubmerſorum, locis anguſtioribus incluſorum, halitibus noxiis infectorum &c... tum ſpuriâ ſive nothâ hyſtericarum, hypochondriacorum, vehementioribus animi paſſionibus perculſorum, aliiſque ejuſmodi affectionibus, ſæpenumerò incerta fallunt incertæ mortis ſigna, non tam artis crimine, quàm aut imperitiâ aut negligentiâ artem profitentium atque exercentium, ut & adſtantium vel incu-

riâ, vel inopiâ, imò quandoque malitiâ. Faciei rubor, calor trunci, artuum flexibilium mollitudo, incerta vitæ nondum finitæ ſigna: omnino finitæ pariter incerta vultus pallens, frigens truncus, extremitates rigidæ, motuum ſenſuumque externorum ceſſatio. Vitæ ſuperſtitis ſigna omnium certiſſima Pulſus ac Reſpiratio, quippe ſine quibus omnino perit. Cave, credas deſiiſſe geminos hoſce motus, quotieſcumque intuitu tactuve eoſdem non offenderis. Scrutare pauliſper utriuſque tractum. Pulſum, quem in recto vel reclinato carpo non ſenſeras, in eodem leniter incurvato fortè reperies: hîc nimirum laxa cruori quantumvis leniter appellenti cedit arteria; iſthic tenſa viam præcludit: ille, qui circa Radii baſin profundiùs hæret, pollicem inter & os metacarpi vicinum fortè patebit. Cave interim, rudiori preſſione languentem hîc pulſum tactui tuo ipſemet ſubducas. Nec minùs cave, arteriolarum in digitis propriis micationes arteriis carpi iſtius attribuendo, vivum exiſtimes qui verè mortuus eſt. At nullo hiſce in locis occurrente pulſu, omnia conclamata non illico judicandum. Temporum arterias explora; quibus neque perceptis, carotides canalibus cœteris ampliores, emboloque vitæ directiùs agitatas conſule, digitis non leviter, ut alibi, ſed profundiùs ſub poſticâ alterutrius Muſculi Sternomaſtoidei crepidine appreſſis. Id quod etiam verſus inguina in arteriis cruralibus prudenti exercitatorum digitorum attactu probè obſervandum. Præter hæc, ſive ultimò, etiam in ipſis præcordiis inquirenda tum finitæ tum non finitæ vitæ ſigna; inquirenda verò, non ſupino corpore, ſed in latus ferè converſo, non ſiniſtrum duntaxat, ſed etiam dextrum. Corpore ſupino, cor ſpinam verſus aliquomodo ſubſidere, adeòque à coſtis remotum, jam leviuſculè, jam vix ac ne vix, imò nullatenus præcordia ferire, quilibet experiri poteſt. Cor plerumque ad latus ſiniſtrum oſcillare ſolet, ſed in nonnullis dextrorſum pulſare obſervatum, in iis ſcilicet, in quorum poſtea cadaveribus inverſa tum pectoris tum abdominis reperta fuere viſcera: qualis quidem ſitus inſolitus fortè non ſemel in affectibus jecoris, lienis, inteſtini coli, præſertim cœci ſive capitis coli, curandis fefellit. Nihilo-minùs quantâlibet adhibitâ diligentiâ in prædictis caſibus, quandoque ita latent cordis æquè ac arteriarum ictus, ut niſi alias aliunde notas ſimul quæſieris, mortuum judicares, quem vivere reſciſces poſtmodum. Non minùs dubia in iſto rerum ſtatu dubiæ mortis indicia promit ſcrutinium Reſpirationis. Conſopita hæc & veluti ſepulta quandoque torpet, ut neque viſui neque tactui vel leviſſimus circa thoracem motus pateſcat. Scilicet uti debiliores cordis & aortæ vibrationes, unà cum libero quamvis placidiſſimo aëris externi ad intimos pulmonum receſſus allapſu, vitæ aliquamdiu protrahendæ ſufficiunt, abſque ullo propemodum in arteriis exterioribus ictu manifeſto, ita ſola ferè vis elaſtica bronchiorum & veſicularum, levioribus cordis & arteriæ pulmonaris trepidationibus adjuta, vicem manifeſtæ reſpirationis aliquatenus ſupplere poterit. Verumenimverò quamvis organa circuitui ſanguinis inſervientia

ulteriùs explorandi viæ desint, non modò Respirationis, sed sensuum motuumque instrumenta penitius inquirere poteris, quinimo debes, ne fortasse quem mortuum judicaveras, per temetipsum & vitâ & salute demum privetur.

I I I.

UT à verè mortuis distinguerentur ii, de quorum morte dubitari posset, varia varii experimenta proposuêre. Respirationis sopitæ ac veluti sepultæ signa quærentes, vel cerei accensi flammam ori naribusque leni & inconcussâ manu admovent, atque istâ huc illuc vacillante, modò non aliundè motus ille tremulus excitetur, vitam nondum finitam existimant; flammâ verò quiescente, finitam augurantur. Tenuissimorum lanæ carptæ vel gossypii flocculorum ope idem alii autumant. Incerta profectò signa. Id ipsemet vivens vigensque levissimo respirationis halitu, quotiescumque libuerit, experiri poteris. Nec minùs incerta ex halitu speculum ori ac naribus admotum offuscante signa esse, testantur consimiles ferè vapores ex ore naribusque verè defuncti adhuc calentis exsurgentes. Ab aliis vasculo aquæ pleno super apophysin seu epiphysin xiphoïdem supini ac prorsùs immoti corporis posito, vitam motus aquæ, quies verò mortem notare creditur. Consultius foret, non supino ad amussim corpore id fieri, sed in latus alterutrum eatenùs converso, ut extrema costæ antepenultimæ cartilago supremum obtineat situm, eique, ad manifestandum vel levissimum in pectore motum xiphoïde multò magis dispositæ, vasculum imponatur. Cæterùm, immotis omninò costis, lento, subtili ac placido solius diaphragmatis motu in prædictis casibus aliquando peragi posse Respirationis opus, ut aqua vasculo contenta nullatenùs moveatur, experientia docuit. Cave nihilominùs, fermentantium in abdomine verè mortui humorum allapsu vasculum commovente decipiaris. Neque tentatis incassum hisce, mori tuâ culpâ sinas, quem nondum obiisse, imò nondum nisi tuâ negligentiâ moriturum esse, alia insuper probare poterunt. Nares sternutatoriis, errhinis, salibus, liquoribus acutis, magmate sinapis, succo cæpæ, allii, raphani rusticani &c. plumularum aut penicillorum ope irritandæ. Gingivæ iisdem sæpiuscule ac fortiùs affricandæ. Verberibus, urticibus, &c. vellicanda tactûs organa; enematibus, flatu, fumo intestina. Inflexionibus & extensionibus commovendi artus. Aures sono, clamore, strepitu molestandæ; cavendo tamen, si nullum omnino signum auditûs, ne quidem levissimo palpebrarum, labiorum, digitorumve, aut aliarum partium motu dederit, quem examinas, ipsum non audire illico judices. Uti enim primum movens cor esse censetur, ita ultimum sentiens auditûs organum esse testantur ii, qui omni alio sensu privati singula distinctè tunc audita postmodum referunt. Testatur idem historia Theologi, qui moribundo nullum auditûs signum edenti dandam non esse absolutionem priùs docuerat, at cum ipsemet gravissi-

mo correptus deliquio, & omni interim motu orbatus singula ab adstantibus prolata audiverit, sententiam deinceps mutavit.

I V.

ULTIMO ab illa Medicinæ parte, cujus olim effectus evidentissimos Celsus ipse prædicavit, finitæ vel non finitæ vitæ notas exquirere necessum est. Chirurgica, quæ detegendis illis aptiora putantur experimenta, pungendo, secando, urendo, potissimùm peraguntur. Diæresibus hisce velut à morte ad vitam quandoque revocati sunt, quos non aliter ac statuas aut truncos alia quævis affecerant tentamina. Nimirum tenuissimæ extremarum, quibus organum tactûs imprimis conflatur, nervorum fibrillæ, violento cuspidis, cultelli, ignisque impulsu vellicatæ, divulsæ, disruptæ, atque epidermidis operculo denudatæ, exquisitissimas dolorum perceptiones ad commune, uti vocant, sensorium usque, viâ hactenus inexplicabili ac celeritate promiscuâ, continuant. Punctiones in volis manuum, pedumque plantis, scarificationes scapularum, humerorum, brachiorum &c. efficacia quandoque reperta sunt circa dubiam mortem experimenta. Felici licèt temerario ausu quidam prælongam aciculam sub ungue digiti pedis mulierculæ apoplecticæ nullum vitæ signum præbentis adigens, momento citiùs illam excitavit. Sectionibus patuisse notas vitæ nondum finitæ, satis probant allata superiùs exempla. Efficacissima tandem judicantur dubiam mortem explorandi tentamenta, quæ ab Ustione desumuntur. Ita plebeios aliquot, quos nullum quantumvis validum atroxque remedium à fortibus apoplexiis excitaverat, ad vitam subitò revocatos per admota plantis pedum ignita ferramenta fuisse, memorat suprà laudatus ac nunquam satis laudandus LANCISIUS, (lib. 2. cap. 5. n. 11.) Eadem eumdem in scopum vertici capitis imponenda alii suadent. Pari quoque successu manibus, brachiis, aliisve in cute locis applicari possunt aqua fervida, cera vel simplex liquefacta vel Hispanica incensa, funiculus ardens. Huc etiam referri queunt Frictiones validæ, exemplo Medici, qui cum in decumbente pro mortuo habito membra adhuc flexibilia animadvertisset, quamvis nullo pulsu, nullo per admotum ori gossypium halitu, nullo per enema quantumvis acre effectu, plantas pedum setaceo fortissimæ muriæ immerso per tres horæ quadrantes continuâ frictione fortissimâ tractando ad vitam revocavit. (Eph. Nat. Cur. Dec. 1. an. 8. pag. 159.) Nihilominus ista quoque, licèt aliàs efficacissima, sperato caruisse successu experimenta, missis aliis exemplis, sola instar omnium Regiæ Scientiarum Academiæ communicata evincit historia de milite quodam ignita ferramenta nullatenùs sentiente, salvis licèt omnibus motuum voluntariorum organis.

V.

QUID indè, quorſum tot molimina, ais? Quænam ſic pungendi, ſecandi, urendi ratio? En! *Quia me veſtigia terrent*, ipſum me ferali bis addictum involucro, primâ vice puerum, adoleſcentem ſecundâ, judicante Medico. Præterea, jamdudum monente ZACCHIA, non debet hominum vulgus peritos Medicos irridere, ſi nonnulla circa eos, qui mortui putantur, aut verè mortui ſunt, machinantur, ut eos deprehendant, an vita adhuc ſuperſit, necne. (*Qu. Med. Leg. Tit.* 1. *q.* 9. *n.* 54). Locum hìc meretur, quod ex Fabio exclamante citat inclytiſſimus LANCISIUS (*de Mort. ſub. l.* 1. *cap.* 15.) Unde putatis inventos tardos funerum apparatus? Unde quòd exequias planctibus, ploratu, magno ſemper inquietamus ululatu? Quàm quòd vidimus frequenter poſt conclamata ſuprema redeuntes. Prudenter itaque lege vetitum eſt, addit ibidem Celeberrimus Archiater, quoſcumque mortuos, & eos præſertim, qui repentè deceſſerunt, ſtatim ſepelire:/rogatque deinceps, (cap. 16.) non tantùm Medicos, ſed etiam pios qui ex inſtituto animæ aſſiſtunt, ut indiciis utantur propoſitis; utque Medici firmata novis experimentis inveniant præſidia, quorum miniſterio ægri vel à morte penitus vindicari, vel ſaltem tantum temporis lucrari valeant, ut crimina vitæ (quod cardo rei eſt) ſacrâ Exomologeſi expiare, ſeſeque Numini commendare poſſint. (Lib. 2. cap. 5.) Non abſimile pietatis Medicæ ſpecimen jam olim dederat Oraculum Scholæ Pariſienſis RIOLANUS, ubi de ſuſpenſorum cadaveribus, ſectioni anatomicæ deſtinatis: Quamdiu, inquit, calet corpus, ſi parùm diſtat à ſuſpendio, incidi non debet, quoniam humanitas & pietas à nobis exigunt, ut ſi quis vitæ nondum extinctæ ſpiritus affulgeat, omni arte ſuſcitetur, ut vita miſero reſtituatur ad pœnitentiam agendam. At verò quandoquidem, præcipuè in caſibus memoratis, nulla abſolutè certa finitæ vitæ ſigna, præter liveſcentes in corpore maculas, atque exhalantem inde fœtorem cadaveroſum, ab alio quovis fœtore, etiam ſtercoreo, ut & ulceribus quibuſdam proprio, diſtinguendum, hactenus inventa ſint; tutiſſimum erit, eouſque in lecto relinquere obiiſſe creditum, relictis ſimul circa eundem tanquam vivum ſtragulis, tegmine ac pulvinari, nec niſi poſt biduum triduumve, toto corpore inter ipſa eadem ſtragula frigefacto, artubuſque planè rigentibus, ferali apparatu tractare. Cedro digniſſima præclari Venetorum Machaonis TERILLI Sententia hæcce: (De cauſis mort. repent. Sect. 6. cap. 2.) Cùm ex dictis ſatis conſtet, vitam omni vitali functione interdum ita fruſtrari, & ita latenter includi, ut à cadaveribus hujuſmodi corpora nihil differre videantur; ideo, ne pietati & Chriſtianæ Religioni, viventia adhuc tumulando, injuria aliqua fiat, debitum tempus ſtatuendum eſt, quo vitam, ſiqua lateat, ſuſcitari, exſpectare debemus. Eſt autem (ut inquit major Auctorum pars) ſpatium trium dierum naturalium, quod ſeptuaginta duabus ho-

ris perficitur &c. Quod si hoc tempore nullum vitæ vestigium conspiciatur, sed potiùs pravum odorem cadavera emiserint, certæ mortis argumentum clarissimum existit, & tunc ullo absque scrupulo talia corpora reponenda. Huic Sententiæ subscribens Consultissimus ZACCHIAS: Pro certo ergo concludendum, ait, hominem verè mortuum non nisi incipiente putredine cadaveris certò cognosci posse. (To. 3. Cons. 79. n. 21.) Non mirum itaque, testamento cavisse quosdam, ne vitam cum morte omnino commutasse putati è lecto ad feralia extrahantur, nisi elapsis ad minimum horis quadraginta octo, factisque priùs ferro & igne experimentis minùs incerta mortis signa manifestantibus. Idem ferè non ita pridem initio currentis anni testamento Nobilissimæ Canonicæ D. de CORBEVILLE cautum, atque à Perillustri Hærede ad amussim observatum fuisse, cuilibet pernotuit. Imò idem cæteraque antè exposita, ut & alia ejusmodi, fiant nobismet ipsis in eodem versantibus statu enixè obtestamur.

Ergò mortis incertæ signa minùs incerta à Chirurgicis, quàm ab aliis experimentis.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Baptista Dubois, Professor Regius.

M. Guillelmus-Josephus De l'Epine.

M. Ludovicus-Hieronimus Cosnier, Pharmaciæ Professor.

M. Ludovicus-Joannes Le Thieullier, Regis Consiliarius & in Majori Consilio Medicus ordinarius.

M. Nicolaus Le Roi de S. Aignan.

M. David Vasse.

M. Ludovicus-Claudius Bourdelin, Ex-Decanus, Academiæ Censor, & Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.

M. Michaël-Ludovicus Vernage.

M. Joannes-Franciscus Leaulté.

Proponebat Parisiis, LEANDER PEAGET, Parisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1740. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1740.